Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



In diebus illis. Venit mulier sunamitis ad heliseum in montem carmeli. Cumque vidisset eum vir dei de longe ait ad eum puerum. Ecce sunamitis illa. Vade ergo in occursum eius: et dicet ei. Nonne ut agitur circa te et circa virum tuum et circa filium tuum. Quae respondit. Bene. Cumque venisset ad virum dei in montem apprehendit pedes eius: et accessit ut amoveret eam. Et ait homo dei. Dimitte illam. Anima enim eius in amaritudine est et dominus celavit a me et non indicavit mihi. Quae dixit illi. Numquid petivi filium a domino meo. Numquid non dixi tibi ne illudas mihi? Et ille ait ad eum. Accinge lumbos tuos: et tolle baculum meum in manu tua et vade. Si occurrerit homo non salutes eum: et si salutaverit te quispiam non respondeas illi. Et pones baculum super faciem pueri. Dixit mater pueri ad eum. Vivit dominus et vivit anima tua: non dimittam te. Surrexit ergo et secutus est eam. Geezi autem praecesserat ante eos et posuerat baculum super faciem pueri: et non erat vox neque sensus. Resilivitque et ivit in occursum eius et nuntiavit ei dicens. Non surrexit puer. Ingressus est ergo heliseus domum: et ecce puer mortuus iacebat in lecto eius. Ingressusque clausit ostium super se et super puerum. Oravit ad dominum. Et ascendit et incubuit super puerum. Posuitque os suum super os eius. et oculos suos super oculos eius. et manus suas super manus eius. et incurvavit se super eum et calefactus est caro pueri. Et ille resilivit deambulavit in domo semel huc et illuc et ascendit et incubuit super eum. et obstiterunt pueri septies: